

nem queramus, quibusdam casibus hic utilis actio constitutionibus introducta est, l. 3. c. de don. qua sub mod. His autem casibus, & si qui funt similes, demptis, actio directa dicitur, quae ex verbis legis, eoque quod rescriptum est, descendit. Scriptum autem etiam illud & verbis comprehenditur intelligi oportet, quod voluisse legislatores constat, etiam si id aperte expressum non sit. Ut ecce, lege Aquilia, qui damnum dedit, expressit jubere eius damni estimationem praestare. Illud non exprimitur, damnum tanti aestimandum, quanti interest damnum datum non esse. Ceterum quia damnum facri lex voluit, ex voluntate legis hoc sic acceptum est, quasi scriptum esset, quos omnis quod interest, aestimationem fieri debere; ac proinde etiam ejus nomine quod extrinsecus interest directa ex lege actio competit, ut notavimus ad §. illud. 10. supr. eod. At verò ubi longius proceditur, atque ex scripto & sententia controversia orta, actio inducitur per interpretationem & extensionem aliquam, tanquam ex mente legislatoris; ea non directa, sed utilis est: quamquam vi & effectu juris à directa non differat, l. prope. de neg. gest. Quod si & verba & sententia legis deficiunt, hic praetor defectum legis, utilitate id exigente, supplere solet reddendo actiones in factum, l. quia actionum. 11. de praes. verb. Quae omnia exemplis in textu illustantur. Illud etiam hic obiter notandum, appellatione actionis in factum nonnunquam signifi-

ficari actionem illam utilem, quam ex sententia legis per interpretationem induci dicitur: ut videre est in l. qua actio. 7. §. proinde. 3. l. item §. 9. in pr. l. item Mela. 11. §. sed §. 8. l. quemadmodum. 29. §. pen. hoc tit. Propriè autem eo nomine designari actionem ab illa utili distinctam: quae scilicet id factum persequitur, cui nec oratio nec sententia legis convenit, d. l. 11. de praes. verb. l. si servum 33. §. 1. hoc tit. l. 7. idem Labeo. 7. de dol. & hoc tit. in fin. Illa in factum civilis, haec in factum praetoria dicitur, & tota subsidiaria est.

si quis corpori suo] Add. l. ita vulneratus. 51. in pr. hoc tit.

Qui alio modo damnum dederit, utilis actio.] Quae eadem & in factum, ceterum civiles, l. qua actio. 7. §. 3. & §. Celsus. 6. l. item §. 9. fere per tot. tit. eod. Sic patri nomine filii, bonae fidei possessori, item libero homini suo nomine utilis Aquiliae actio datur. Directa enim habere non possunt, quoniam in lege domini tantum mentio fit, d. l. qua actio in pr. l. item Mela. 11. §. sed §. 8. l. liber homo. 13. pr. eod.

Neque corpus laesum] Lex Aquilia de corpore perempto aut corrupto loquitur. Itaque ubi corpus integrum manet, neque ex verbis legis directa, neque ex sententia utilis actio competere potest: & proinde subsidiaria in factum opus est, secundum ea quae jam dicta sunt, l. 11. de praes. verb. l. si servum 33. in fin. hoc tit. l. 7. §. idem Labeo. 7. de dol.

TITULUS QUARTUS.

DE INJURIIS.

Dig. Lib. 47. Tit. 20. C. Lib. 9. Tit. 33. & 36.

Continuatio, & argumentum t. tuli.

Quarta species delicti, unde obligatio & actio inter privatos nascitur, est injuria seu contumelia. Quae quid sit, quomodo & quibus fiat, tum qua poena vindicetur, quae circumstantiae eam augeant, aut minuant & denique quomodo aboleatur, hic docebitur.

TEXTUS.

Verbum injuria quod modis accipitur.

Generaliter injuria dicitur omne, quod non jure fit: specialiter alias contumelia, quae à contemnendo dicta est, quam Graeci ἔσπον ἀπείληται: alias culpa, quam Graeci ἔσπον ἀπειλή dicunt, sicut in lege Aquilia damnus injuria datum accipitur: alias iniurias & injustitias, quam Graeci ἀδικίας καὶ ἀδικίας vocant: cum enim praetor vel

judex non jure contra quem pronuntiat, injuriam accepisse dicitur.

NOTAE.

Generaliter injuria] Ex Paulo apud Rufin. tit. 2. & Ulpiano l. 1. hoc tit. ubi JC. ait, injuriam ex eo diciam, quod non jure fit. Augult. Confess. 3. cap. 8. Sive per contumeliam, sive per injuriam.

Cum judex non jure contra quem pronuntiat.] Si judex inique sententiam dixerit, quavis per imprudenciam aut errorem, l. §. 1. de evict. eum, qui sententia laesus est, injuriam passum dicimus, d. l. hoc tit. Judex autem injuriam facit, non is, secundum quem judicatum est. Aristot. 1. mago. mor. 34.

COMMENTARIUS.

Omne quod jure non fit.] Quicquid non jure fit, generali verbo injuria dicitur; l. 1. hoc tit. ubi Ulpianus ait, injuriam ex eo diciam, quod

TEXTUS.

Quibus modis injuria fit.

1. Injuria autem committitur, non solum cum quis pugno pulsatus, aut sustulit casus, vel etiam verberatus erit; sed & si cui convitium factum fuerit: sive cuius bona quasi debitoris, qui nihil deberet, possessa fuerint ab eo, qui intelligebat, nihil cum sibi debere: vel si quis ad infamiam alicujus libellum aut carmen (aut historiam) scripserit, composuerit, ediderit, dolove malo fecerit, quod quid eorum fieret: sive quis matrem familias, aut praetextatum praetextatave adscitatus fuerit: sive cuius pudicitia attentata esse dicitur: & denique aliis plurimis modis admitti injuriam manifestum est.

NOTAE.

1. Matremfam. aut praetextatum, &c.] Rudeus, in l. ult. de Sen. Erat autem praetextata puerile vestimentum. l. 23. §. 2. de aur. & arg. leg. & ingenuitatis insigne, eisque non vestitus Philostrat. in Herode.

COMMENTARIUS.

1. Re quot modis injuria fit?
2. Convitium quid, & an circa id verbis injuria fieri queat?
3. An & quando veritas convitii excuset injuriam?
4. An eum relevet praestatio honoris?
5. Injuriam verbis factam an verbis liceat repellere?
6. Famosi libelli quomodo variis partibus.
7. Si inventor auctorem indicaverit.
8. Poena capitali l. un. C. de famos. libel. quando locus?
9. Adscitari cur injuriosus?
10. Sermo praetextatus.
11. Cur injuriosa attentatio pudicitiae?

Interpres vulgo injuriam in duo genera dividunt, in realem, & verbalem: eam, quae scripto fit, alii ad realem referunt, alii & frequentius, ad verbalem: quod & Labeo fecisse videtur, l. 1. §. 1. hoc tit. & nos sequemur. Itaque dicimus, omnem injuriam aut fieri, aut verbis: vel lingua scilicet nuncupatis, vel scripto expressis. VINN. At potest etiam per picturam fieri injuria, ejusque rei lepidia profant exempla. Enimvero & haec ad injurias reales referri posse nemo dubitaverit. HEN.

Cum quis pugno pulsatus] Proprie injuria 1
O O O O

quod non jure fiat. Itaque omne factum, quod noceret detrahiturque quid alteri temere immeritove, id in genere injuria dicitur: eaque vox tam late patet, quam injustitia: est enim effectus injustitiae, quae in affectu & habitu animi consideratur. Cicero in Paradox. Quocumque appetisti, ut furta, sic tua tibi occurrunt injuria, quae te resistere non sinunt. Injuria, id est, actiones injustae, flagitia, peccata. Injuria, sic generaliter dicitur, Justinianus res speciales hic commemorat, uti & Jurisconsultus in d. l. 1. contumeliam, damnum culpa datum, iniquitatem sententiae: quibus tamen genus proprium non exhaustur. Sed de eo uniusquodque per arbitratu existimet. Adeundus omnino Arist. lib. 5. ethic.

Specialiter alias contumelia] Specialiter injuria primum per contumelia accipitur, ut in hoc tit. l. 5. §. 1. ad l. Aquil. l. si unus. 27. §. 2. de praes. ubi Paulus scribit, actionem injuriarum nasci ex contumelia. In hoc significatu injuria sic ab auctore librorum ad Herennium lib. 4. cap. 25. definitur: Injuria est, quae aut pulsatione aut convitio aures, aut turpitudine vitam alicujus violat. Ergo sic injuria est omne dictum factumve ad contemptum, infamiam, aut dolorem alterius directum.

Contemnendo] Contumelia à contemptu, Seneca quoque auctore, dicta est: quia nemo nisi quem contemplit, tali injuria notat.

Alias culpa, sicut in lege Aquilia] Lex Aquilia injuria verbo vel maxime dolum malum intelligit: ceterum eodem verbo & culpam comprehendit, atque id quoque, quod per imprudenciam aut imprudenciam factum est, injuria factum existimat. Quod Aristoteles non δίκαιος, sed ἀνομιος appellaret: & ita foret legendum: quia id nomen locum habet etiam ubi dolus absit. Atque haec est secunda injuria species.

Non jure contra quem pronuntiat] Tertio circa judicium injuriam pro iniquitate accipimus. Nam si judex inique sententiam dixerit, eum, qui sententia laesus, injuriam passum esse dicimus. Quamquam autem litigatorum injuria fieri dicitur non tantum cum judex dolo malo aut largitione corruptus perperam pronuntiat, sed etiam cum per errorem aut imprudenciam, l. si per. §. 1. de evict. effectum tamen juris inter haec facta multum interest: & alterum verè maleficium est, alterum propriè non est, sed quasi maleficium, quoniam utique: de quo vide pr. tit. seq. Illud hinc loco contrarium non est, quod apud Paulum in l. pan. de just. & jur. legitur, praetorem quoque jus reddere, cum inique decerneret. Nam, ut ipse illud explicat, dicitur hoc relatione facta, non ad id, quod praetor fecit, sed ad illud, quod praetorem facere convenit: sive nomine relato ad id, quod videtur, non quod est; sed, ut praetor fecit, non ad id, quod

realis est; quoties manus inferuntur, d. l. r. §. 1. Sed & illa realis censetur, quae citra illationem manuum aut lationem corporis inferuntur, aut factio aliquo, quod ad contumeliam alterius pertinet: veluti si quis vexandi causa aliquem in ius vocari curaverit, l. *injuriam*, 14. §. 3. eod. aut domum abientis debitoris signaverit sine auctoritate iudicis, l. *si injuria*, 20. eod. cui simile, quod hic proponitur de bonis quasi debitoris possessis: item si quis ad invidiam nobis concitandam mororis iudicis publicè utatur, puta lugubri aut squalida veste, aut si demittat barbam, submittatve capillos, l. *item apud*, 15. §. generaliter. 27. l. *vistem*, 39. eod. Cujac. 6. obs. 5. & alia hujusmodi, quae vel gestu ad infamiam aut contumeliam alicujus commisso fiunt, *videtur qd e o pro n de hmo; dicitur qd n est par hmo n dicitur*. Eustath. ad *Odys.*, n. add. Damhoud. *prax. crim.* c. 140. Theaur. *dic.* 22. 9.

Convitium factum] L. *item apud*, 15. §. *si prator*, 2. & *sequi hoc tit.* l. 5. C. eod. haec injuria verbalis est. Convitium auctore Ulpiano dicitur vel ad concitationem, vel a conventu, hoc est, collatione vocum. Nam cum in unum compuleris voces conferantur, id convitium appellari ait, quasi *convocium*. Atque ex eo apparet non omne maledictum convitium esse, sed id solum, quod cum vociferatione dictum est, five unus, five plures, in certu dixerit, quod autem non in certu nec vociferatione dicitur, convitium non proprie dicit, sed infamandi causa dictum, d. l. *item apud*, 15. §. *convitium*, 4. & §. *ex hic*, 11. eum *sequi* Verum haec etymologiae & definitionem Jurisconsulti reprehendit Laur. Vall. 6. *elegr.* 52. negans, usquam apud probatos auctores reperiri hanc differentiam custoditam inter convitium & maledictum. Inter quae (si qua est) hanc fore ait, quod convitium est maledictum contumeliosum; nec utique vociferatione semper convitium fieri. Idque probat primum auctoritate Quintilianii *lib. 7. cap. 3.* & Ciceronis: ejus verba in oratione *pro Caelio cap. 3.* haec sunt: *Maledictio nihil habet propositi prater contumeliam, quae si petulantius jactatur, convitium: si facietius, urbanitas nominatur.* Atque ita quoque vox convitii usurpatur in l. 5. C. *hoc tit.* Quicquid sit, etiam verbis citra convitium injuriam fieri posse constat: veluti si quis non debitorum quasi debitorum appellaverit, d. l. *item apud*, 15. §. *si quis*, 33. eod. aut si quis puellam blandis verbis sollicitet ad stuprum, d. l. *item apud*, 15. §. *appellare*, 20. VINN. Consultendus hic omnino V. C. Car. And. Dikerus de *Latinis*, J. *z. Vet. p.* 191. *sequi*. HEIN. Tria fere hic quaeri solent. Primum est, an veritas convitii excuset injuriantem: Interpretes vulgo respondent, excusare, si id, quod obijciatur, tale est, ut publicè interfit illud sciri: veluti si quis latro, homicida, adulter, sacrilegus appelletur: eoque pertinere responsum Jurisconsulti in l. *eum qui*, 18. in *pr. hoc tit.* ubi ait, eum, qui nocentem infa-

mavit, non esse bonum & equum condemnari: peccata enim nocentium nota esse oportere, & expellere. Hoc autem vel maxime procedet, si infamaverit apud magistratum; quoniam tum omnino praesumitur fecisse, ut super obiecto crimine, quod tamen utique probare debet, iniquitio insinueret. Alias si ex circumstantiis manifeste injuriandi adfuisse arguatur, veluti si in rixa id fecerit odio impulsus, petulantiam istam impenitentem relinqui non debere, l. 3. C. *de off. red. pro.* Si autem quod obijciatur innotescere nihil interest, puta si alter poenam delicti sui sustinerit, aut si vitium naturale obijciatur, claudus aliquis, luteus aut gibbosus vocetur, veritatem convitii non excusare, quominus animo injuriandi id factum praesumatur: contrarii tamen probationem hic admittendam, *arg. l. 5. C. eod. lta ferme Gomez. 3. resol. 6. num. 2. Mynl. 4. obs. 4. Gall. 2. obs. 99. Covar. 1. resol. 11. num. 6. & 7. Clar. lib. 5. §. injuria. num. 13. Wetemb. parat. num. 8.* Atque haec distinctio nem passim in judicando servari tradit Christian. vol. 4. *dec.* 202. n. 32. add. D. Sande *lib. 4. tit. 8. de fin. 7.* Alterum est, an injuriantem 4. vet praestatio honoris aut praestatio non animo injuriandi, veluti si quis dicat, tu es mendax. absq. dicto contumelia, aut salvo honore tuo. Communis sententia est, non relevare, quia praestatio contraria factio nihil operatur: atque ita etiam pronunciari solet, vid. Gall. 2. *obs.* 101. num. 1. Guid. Pap. *dec.* 465. in *fin.* Covar. 1. *resol.* 11. n. 1. Clar. *lib.* 5. §. *injuria*, 13. Ant. Fab. *Cod. Jus hoc tit. dec. 1. n. 3.* Tertium est, an verbis factam injuriam verbis retundere liceat. Vulgo placet licere: quippe ignoscendum ei, qui se ulticiter provocatus: *arg. l. qui cum*, 14. §. *si liberus*, 6. de *bon. libat.* Ceterum non quibuscumque verbis injuriam illatam repellere fas est, non ita quae ad vindictam tendunt, sed tantum quae pro defensione honoris proferruntur, ad removendum crimen obiectam; puta, qui vocavit aliquem latronem aut furem, et non licet ea crimina retorquere, ut dicat, tu ipse es latro aut fur: quoniam hoc tendit ad vindictam: at impune dici poterit, tu mentiris, cum hoc tendat ad defensionem honoris & innocentiae, vid. *Mynl. cens. 5. obs.* 17. Gall. 2. *obs.* 100. Tulden. in *C. hoc tit.* num. 4.

Sive cujus bona quasi debitoris.] Quia quia bona ex edicto possidentur, ejus fama & existimatio cum bonis simul possidentur, ut ait Cicero pro *Quinto*, cap. 15. Est autem haec injuria realis, cui similis species est quae proponitur in l. *si injuria*, 20. *hoc tit.* Ait, ab eo qui intelligebat, nam injuria, ut in hoc argumento accipitur, non fit sine proposito & affectu facientis, l. 3. *in hoc tit.* **Ad infamiam alicujus libellum, aut carmen**] Ad injuriam verbalem cum plerique reulimus etiam eam, quae scriptura fit: cujus species atrocissima, adulter famulos libellus, five, ut veteres locuti sunt, malum carmen. Nunc vulgo Paulquillus vocatur ex eo, quod Romae ad trancum

Paulquini cujusdam stamm hujusmodi scripta 6. obijci soleant. Poena mali carminis ex lege duodecim tabularum capitalis fuit: ut apparet ex loco Ciceronis 4. de *republica*. quem citat Augustinus 2. de *civ. Dei* cap. 9. *Nostri*, inquit, XII. tabulae, cum perpaucas res capite sanxissent, in his haec quoque sancientium putaverunt si quis carmen contulisset, quod infamiam faceret, flagitiumve aliter. Praclare. *Judicis enim ac magistratum disceptationibus legitimis propositam carmen, non Voetarian ingenio, habere debemus, nec probum audire, nisi ea lege, ut responderet carmen, & judicio defendere.* Sed poena capitis postea sublata videtur: nam lege Cornelia auctor lamosi carminis intestabilis esse jubetur, l. 5. §. *si quis*, 9. *hoc tit.* ubi Ulpianus scribit: *Si quis librum ad infamiam alicujus pertinentem scripserit, composuerit, eiderit, dolove malo se erit, quod quid eorum fieret, etiam si alterius nomine eiderit, vel sine nomine, de re injuriarum agere licet, & se condemnatus sit, quid id fecit, intestabilem ex lege esse juberi.* Novissimè id iterum capite sanctum postiorum Principum constitutione, quae extat in l. *unic.* C. de *famoso libello*, quae constitutio eadem poena etiam in plechi jubetur, qui libellum inventum, quem abolere debebat, in notitiam aliorum protulit. Quid ergo si ductorem indicavit? Idem adhuc dicendum cenet Salicetus in d. l. *un.* quem sequitur Schneid. *hic num.* 5. non quod auctorem edens puniatur, quasi ipse auctor sit, sed ob delictum proprium: quippe utrumque flagitiosum esse & componere famolium libellum, & publicare. Verum hoc alius displicet, & merito. Nam illud demum lex puniat, quem auctorem esse praesumit. Inducant vero auctorem etiam praemium alibi decernitur, l. 5. *ult. hoc tit.* ita ut hoc rectè factio compenset invidiam non aboliti Scripti: cum nec convinci auctor possit, si scriptum aboleatur, ut disputat D. Tuld. *hic cap. 3.* Ceterum tum demum poena capitis praedicta constitutione imponitur, si in libello capitali auctore crimen obijciatur ad creandum alicui periculum. Tunc enim talioni locus est, ut eadem animadversione coerceatur auctor, quae coerceri meretur crimen illud, quod in libello obijciatur. Alius verò mitius & poena extraordinaria hoc genus petulantiae vindicat; secundum Gloss. Petr. Cyn. Salic. Angel. in d. l. *un.* Joan. de Plat. & Schneid. *hic Gomez. 3. resol. 6. num. 1.* Christian. vol. 4. *dec.* 202. num. 36. Quod autem D. Wefemb. in add. ad Schneid. notat, pro famoso libello eam solum scripturam haberi, in qua obijciatur speciale, certum, & capitale crimen, puta latrocinii, caedis, adulterii, sin autem nullum tale crimen obijciatur, sed ad contumelia aliqua, qua existimatio laeditur, ut si quis spurius in scripto nominetur; aut in genere criminis arguatur, veluti si appelletur flagitiosus, scelestus, nebulosus, &c. libellum famolium non esse, sed simplicem ipsam injuriam: id, si quidem vim rerum

nominumque spectes, perperam dicitur. Non malè autem, si consideres, quod hodie auctor libelli non aliter capite punitur, quam si certum & capitale crimen obijciatur. Jus Canonum hanc poenam mutavit in flagellationem rei & excommunicationem, cap. 1. & 3. cap. 5. *quasi*, 1. Atque hodie generali consuetudine poena famoli libelli capitalis esse desit. Clar. §. *fin. qu.* 68. num. 25. & Bajard. in *addit. ibid.* num. 64. & *seq.* Zypac. not. jur. Belg. Groenew. de *ll. abrog. C. de fam. libell.* in *fin.* **Qui matrem suam aut praetextatum praetextatamve affectatur.**] Affectatur, qui tacitus frequenter sequitur. Affidua enim frequentia quae praebet nonnullam infamiam. Ulp. l. *item apud*, 15. §. *alud*, 22. *hoc tit.* Quibus verbis meo judicio Jurisconsultus significat, affectionem propterea turpem esse, quia videtur quis quasi licortum sectari. Nam & hodie quoque solent homines improbi, dum fugillare vulgo mutantur ad puellae opinionem, in publico eis adambulare, quasi licortum ad locum constitutum sectantur. Materfamilias dicitur quilibet mulier honesta, five nupta sit, five vidua, l. *pronunciatum*, 46. §. 1. de *verb. sign.* Praetextati dicebantur, qui praetexta adhuc & bulla utebantur: quod fiebat usque ad annum decimum septimum: quo tempore rogam virilem fumebant, deposita praetexta puertis; ut meminit Cicero in *proemio Lullii*. Hinc etiam praetextata Gellio *lib. 1. nox. cap. 23.* mores praetextati Juvenalis *satyr. 2. vers.* *ult.* sermo praetextatus: qui alius est sermo aperè obsequans. Sueton. in *Vespas.* c. 22. Macrobr. 2. *Saturrnal.* 1. alius qui nihil obsecrantis habet. Praetextatum enim sermonem quidam ab eo dictum putant, quod praetextatis nefas fit obsceno verbo uti. Alii dicit putant, quod nubentibus depositis praetextis a multitudinè puerorum obscena clamenter, auctore Pesto. Vide Budzium ad l. *uir. de sensu*. Joan. Britan. in d. *fat. 2. vers.* *ult.* sic praetextatos referunt *Araxata mores*. Praetextata etiam puellae dicebantur ingenue & innupta a praetextis, quas nubentes deponebant. VINN. Injuriam quoque facere dicitur, qui a praetextato vel praetextata comites abduxerit, l. 15. §. 17. h. de *quo contumelia* genere add. Calaub. ad *Perf. Sat. 5. vers.* 30. HEIN. **Judicium attentatae**] Attentari pudicitia in 11. ejus dicitur, cum id agitur, ut ex pudico impudicus fiat; & qui attentat, injuriam facit, atque haec actione tenetur, l. 9. §. *uis cum*, l. *seg. hoc tit.* Ut ecce si quis puellam aut matronam sollicitet ad stuprum, injuriam ei facit: hoc enim ipso significat, se jam opinionem aliquam de incontantia morum ejus concepsisse. Praetor appellandi verbo usus est, ut apparet ex d. l. *item apud*, 15. §. *appellare*, 20. & §. *alud*, 22. Appellare, ait ibi Jurisconsultus, est blanda oratione alterius pudicitiam attentare. Quod quidem non est convitium facere sed alia verbalis injuria.

TEXTUS.

Qui & per quos injuriarum patiuntur. De parente & liberis, viro & uxore, focero & nuru.

2. Patitur autem quis injuriarum non solum per semetipsum, sed etiam per liberos suos, quos in potestate habet: item per uxorem suam; id enim magis pravaluit. Itaque si filius alicujus, quae Titio nupta est, injuriarum feceris, non solum filiae nomine tecum injuriarum agi potest, sed etiam patris quoque & mariti nomine. Contra autem si viro injuria facta sit, uxori injuriarum agere non potest. Defendi enim uxores à viris, non viros ab uxoribus, aequum est. Sed & focer nurus nomine, cujus vir in ejus potestate est, injuriarum agere potest.

COMMENTARIUS.

Patitur quis injuriarum non solum directo per se, sed etiam obliquè per alias personas. Per alias patiuntur, pater per liberos, quos in potestate habet; dominus per servos; maritus per uxorem; focer per nurum, cujus vir in potestate ejus est. Etenim ad nos quoque spectat injuria, quae iis fit, qui vel potestati, vel affectui nostro subiecti sunt, l. 1. §. 3. hoc tit. Injuria funeris restatoris vel cadaveris post aditam hereditatem facta, heredi quodammodo facta censetur. Semper enim heredis interest defuncti existimationem purgare. Idemque est, si fama ejus, cui heredes extitimus, laesatur. Si verò id ante aditam hereditatem fiat, magis hereditatem acquiritur, d. l. 1. §. 6. et §. 7. quosque. 6.

Per liberos quos in potestate. Hic immediate ipsi liberis fit injuria, & mediatè per liberos patri, qui & suo & liberorum nomine injuriarum agitur. Nam & ipsi quoque filio injuria fieri dicitur, perleuto tamen injuria patri tantum datur, non filio: nisi pater aut praelens non sit, aut si vis abjectaque conditionis persona, l. sed §. 17. §. ait prator. 10. cum §§. seq. l. pater. 41. hoc tit. l. 2. c. eod. addo tertium, nisi pater prae-mortuus sit. Itaque quod dicitur in l. 1. §. ult. eod. filiam actionem competere, sic accipiendum est, ut tamen solus pater eam suo jure exerceat. Quod ex eo etiam intelligitur, quod pater illatam filio injuriam remittere & condonare potest, d. l. sed §. 17. §. planè. 12. Planè ex lege Cornelia pater injuriarum non agit, sed ipse filius; patri autem pretoria actio competit, l. 1. §. illud. 6. et seq. eod. Uique adeo autem injuria, qua liberis nostris fit, ad nos pertinere intelligitur, ut etiam illi ultro quid injuriosum pariantur, adhuc tamen nostro nomine eam injuriarum persequi nobis liceat, d. l. 1. §. usque. 1. l. si quis. 26. eod.

Per uxorem. Etiam per uxorem injuria intelligitur fieri marito. Et ideo non tantum uxori, si sui juris est, injuriam sibi factam exequi potest; sed etiam maritus suo nomine agere tantquam per latum uxoris sibi quoque simul injuria illata sit, l. 1. §. ult. l. non solum. 11. §. quantum. 7. l. cum qui. 18. §. 2. eod. quod in sponso quoque & spona receptum est, l. item apud. 15. §. sponsum. 24. eod.

Filia alicujus, quae Titio nupta. Hoc igitur ex una injuria tribus personis actio nascitur, Titio marito, uxori Titii, & patri uxoris, neque ullius actio per alium consumitur, d. l. 1. §. ult.

Uxor injuriarum agere non potest. Si vero facta sit injuria, uxor non agit, l. 2. eod. Cujus rei causa haec esse videtur, quia uxores virorum, non contra viri uxorum dignitatem participant, l. 8. de senar. Quare qui uxoris dignitatem violat, simul mariti dignitatem, quae in ea inest, violare intelligitur; non contra: in 8. dicitur in ultimarum §. quousque. Paul. ad Epistol. 65. §. ult. 23. Planè si injuria marito facta directo quoque tendat ad contumeliam uxoris, veluti si quis maritum appellet lenonem uxoris suae: hoc casu etiam uxori actionem competere statuum interpretes VINN. Haec rationes hodie non male sunt, originem tamen hujus juris non male videtur potius ex iisdem rationibus marita actio data ob injuriam uxori illatam, ob quas patri data propter injuriam filios, factam Uxores enim veteri jure fuisse loco filiarum, jam alibi demonstravimus. Vid. Antiqu. nostr. Rom. 1. 1. 10. 6. p. 135. Sed postea rejecto hoc principio, conclusio manet, quemadmodum manifestè prohibito donationum inter virum & uxorem, ex eodem principio derivanda. HEIN.

Sed & focer, &c. Itaque nomine injuriae factae filiae famul. nuptae filiosum. quatuor personae actionem habebunt, illa ipsa; pater ejus; & maritus, & focer. Per hunc text. contra quem focero actionem denegat D. Tulden. 2. 9.

TEXTUS.

De servo.

3. Servis autem ipsis quidem nulla injuria fieri intelligitur, sed domino per eos fieri videtur: non tamen iisdem modis, quibus etiam per liberos & uxores; sed ita cum quid atrocius commissum fuerit, & quod aperte ad contumeliam domini respicit: veluti si quis alienum servum atrociter verberaverit; & in hunc casum actio proponitur. At si quis servo convitium fecerit, vel pugno cum percussisset; nulla in eum actio domino competit.

COMMENTARIUS.

Uo hic docemur. 1. servis, qua servus, non intelligi injuriarum fieri; adeo contumpeo & pro nullis habitos apud Romanos fuisse. Pro-

inde si servo convitium factum sit, aut pugnis impactus, ne domino quidem actionem injuriarum competere convenit, l. item apud. 15. §. usque. 44. hoc tit. 2. si quid atrocius in servum admittum fuerit, & quod aperte ad contumeliam domini respicit, domino suo nomine injuriarum agere posse, quasi hic non servo, sed ipsi domino injuria illata sit: d. l. item apud. 15. §. si quis. 35. Ex quibus efficitur, levioerem injuriam fieri factam, veluti si leviter percussus sit, vel maledictum ei leviter, ad fustigationem domini factam non videri: alioqui utique domino actio daretur, d. l. item apud. 35. junct. §. 44. Deinde ne atrocioerem quidem vindicari, nisi appareat, eam servo factam in contumeliam domini. Et hoc quidem efficit summi juris ratio quo servi pro nullis habentur. Caeterum prator, ut passim, ita hic quoque aequitate secutus, gravioerem injuriam, licet servo factam, & circa contemperationem domini, insultam non reliquit. Et efficit sane perabsturdum, insultum proflus manere, si quid atrocius privato odio & libidine in servum sit designatum. Igitur hoc casu dominus injuriam servo factam persequitur nomine servi, d. l. item apud. 15. §. prator. 34. cum seq. et §. prator. 43. cum seq.

TEXTUS.

De servo communi.

4. Si communi servo injuria facta sit, aequum est, non pro ea parte, qua dominus quisque est, aestimationem injuriae fieri; sed ex dominorum persona, quia ipsis fit injuria.

NOTE.

4. Ex dominorum persona. Per enim absurdum esset, dubbus impari dignitate praeditis parem injuriam interpretari, veluti si unus sit tenator, alter persona humilis, §. 9. infr. eod. Nec obstat l. 16. eod. Vide plura in comment.

COMMENTARIUS.

OB injuriam servo communi factam singularis dominus pro ratione dignitatis ipsorum actio datur. Cujus rei summa aequitas est: nam quod in disjunctis valet, etiam in conjunctis valere per est. Denique si ubi major est dignitas, ibi major & atrocioer injuria inferitur, §. utrox. 9. infr. eod. Inquam esset, duobus impari dignitate praeditis interum injuriam interpretari. Quod si alterius injuria major est, (cum forte is tenator sit, alter persona humilis,) majorem quoque poenam statui oportet. Neque obstat, quod ex Pedito Paulus refert in l. sed non. 26. eod. non esse aequum in casu proposito pro majori parte condemnationem fieri, quam pro qua quisque dominus est; quoniam ibi non quaeritur, utrum ex persona dominorum injuria aestimanda sit,

an pro portione dominica; sed utrum id, quod in fine legis praecedentis dictum erat, omnes dominos actionem habere; sic accipiendum sit, ut omnes habeant in solidum, an pro parte dominica dumtaxat: & respondetur, actionem quidem omnes habere, sed non pro majori parte, quam pro qua domini sunt. Ex quo minime efficitur, in aestimanda ea portione, personam & qualitatem dominorum non simul spectari: immo verba Pauli contrarium argunt, cum portiones officio judicis aestimari dicit.

TEXTUS.

De servo fructuario.

5. Quod si ususfructus in servo Titii est, proprietatis Mævii, magis Mævio injuria fieri intelligitur.

COMMENTARIUS.

SI servo injuria facta sit, in quo unus proprietarius, alter ususfructarius habet, magis est ut proprietario injuria facta intelligatur, quam ei qui habet ususfructum, d. l. item apud. 15. §. antepen. eod. Quod enim usufructus alienus est, id non efficit, quo minus res tota adhuc nostra esse dicatur, l. reus, 25. de verb. sign. sed hoc obtinet in re dubia servoque atroci injuria affecto. Non si aperte in contumeliam usufructuarii verberatus sit, usufructuario injuriarum actio datur, d. l. item apud. 15. §. penult. eod.

TEXTUS.

De eo qui bona fide servit.

6. Sed si libero homini, qui tibi bona fide servit, injuria facta sit, nulla tibi actio dabitur, sed suo nomine is experiri poterit, nisi in contumeliam tuam pulsatus sit. Tunc enim competit & tibi injuriarum actio. Idem ergo est & in servo alieno bona fide tibi serviente, ut toties admittatur injuriarum actio, quoties in tuam contumeliam injuria ei facta est.

COMMENTARIUS.

SI is, qui nobis bona fide servit, injuria facta sit, liquidum liberi sunt, nulla nobis actio competit, sed ipsi suo nomine experiri possunt: hic servi alieni, dominus injuriarum agit. Sed hic si in contumeliam nostram pulsatus fuerit, non domino, sed nobis actio datur, d. l. item apud. 15. §. antepen. et pen. eod. Haec consequens est, ut si famulo, mercenario, procuratori, vel subdito alicujus injuria facta sit, dominus ex hac injuria non aliter agere possit, quam si in ejus contumeliam illata sit, verbi causa, mandata ejus exponentibus vel exequentibus. Gom. 3. ref. 6. n. 6. Schneid. hic n. 2. Tuld. cap. 9.

TEXTUS.

Pœna injuriarum ex l. XII. Tab. & ex jure Prætorio.

7. Pœna autem injuriarum ex lege 12. tabularum propter membrum quidem ruptum talio erat: propter os vero fractum nummaria pœna erant constituta, quasi in magna veterum paupertate. Sed postea prætores permittebant ipsis, qui injuriam passi sunt, eam assimilare, ut iudex vel tanti reum condemnaret, quanti injuriam passus estimaverit, vel minoris, prout ei visum fuerit. Sed pœna quidem injuria, quæ ex lege 12. tabularum introducta est, in desuetudinem abiit: quam autem prætores introduxerunt, (quæ etiam honoraria appellatur) in judiciis frequentatur. Nam secundum gradum dignitatis, vitæque honestatem crescit aut minuitur æstimatione injuriæ. Qui gradus condemnationis & in servili persona non immerito servatur, ut aliud in servo auctore, aliud in mediæ auctus homine, aliud in vilissimo vel compedito jus æstimationis constituitur.

NOTE.

9. In desuetudinem abiit] Cujus desuetudinis causa fuit Veracius homo insigniter improbus, qui viginti quinque assibus datis pro obsecratione habeat os liberi hominis depalmare, Gell. not. lib. XX. cap. 1.

COMMENTARIUS.

1. Quæ quarum injuriarum pœna ex lege 12. tab. instituitur prætorum quomodo injuria vindicentur? Injurie & legis coercerent & edicto prætoris. Lex antiqua XII tabularum de omni injuria nominatim cavet, de carne seu libello famoso, de membro rupto, de osse fracto, de quæ cæteris injuriis omnibus, quæ vel verbis fiunt, vel manu extra membri ossive rptionem, ut constat ex Gellio lib. 20. mod. 1. & Paulo lib. 5. sent. 4. De pœna famosi libelli dictum superius §. 1. hoc tit. Ob membrum ruptum lex pœnam talionis constituit: ob os fractum, pecuniariam, uti & ob reliquas injurias leviores, quas quinque & viginti assibus sanxit, nam atrociores, ut de osse fracto impensiore damno vindicasse, pecuniario tamen, idem eodem loco Gellius testatur; cui & Justin. consentit; sed neuter summam exprimit. Putat Hotomannus, hujusmodi injuriam in homine libero trecentis assibus: in servo centum & quinquaginta vindicantur: alii tot scilicet pœnæ fuisse autantem. Sed non est quod de eo solliciti simus: quoniam pœnæ

legis duodecim diu exoleverunt, aliaque pœnæ à prætoribus substituta est, de qua mox videbitur. Cæterum & lex Cornelia, quæ manna sunt, injurias coercet, vid. §. seq.

Talio erat] Talio similem seu reciprocam perpositionem significat. Imp. dixere reciprocam pœnam, l. 3. C. Theod. de exilio rei. Itaque per rationem parem vindictam lex permittit: quod etiam legi Mosaicæ consentaneum est, Exod. 21. Levit. 24. Deut. 19. Joseph. antiq. 4. cap. 6. Insecatur hanc pœnam ut iniquum nimique incerbam & cujus executio ne procedere quidem possit, Phavorinus Philolophus apud Gell. lib. 20. cap. 1. Cui occurrunt Sextus Cæcilius ait, necesse non fuisse, ut reus talionem patiretur, nisi eam ipse elegerit, quippe qui ex lege facultatem pacificendi habuerit. Sed & talionem ipsam, si reus depacisci noller, & acerbiter talionis metueret, ad æstimationem pecuniariam arbitrio judicis redigi necessario solitam. Nam si reus, qui depacisci noluerat, iudicis talionem imperanti non parebat, æstimatione lite in pecuniam damnatum; atque ita si reo & pacto gravis & acerbata talio visa fuerat, levitatem legis ad pecuniam multam redidit: Verba legis hæc sunt: si membrum rupit, si cum eo pacit, talio esto, Tertibus Gellio d. loc. & Festo in verbo Talio.

Propter os fractum] Singula ossa membrum non constituunt. Nam, verbi gratia, manus, quod unum membrum numeratur, cum flexura & varia ossa habet. Itaque os frangi etiam sine membri rptione potest.

Nummaria pœna.] Uti & ob cæteras injurias minus atroces, sed pœna ossis fracti longè gravior erat, quam reliquarum, quæ tantum viginti quinque æris fuit, ut supra demonstravimus.

In magna veterum paupertate.] His verbis Tribonianus innuere videtur, pœnas illas nummarias non fuisse valde graves: cæterum magis satis veteribus visis in magna rei nummarie penuria. Unde D. Taldenus le aliquando respondisse refert, multas quæ antiquis urbium Belgicæ constitutionibus adversus percutientes aut vulnerantes aliquem dirigitur, hodie non obtinere. Nam apud majores nostros ut aliarum rerum beatam & facilem copiam, ita numerum longè quàm hodie minorem fuisse. De maximo veterum Romanorum sub Servio Rege censu, vid. Dion. Halicarn. lib. 1. Gell. lib. 11. cap. 1. Plin. lib. 18. cap. 3.

Sed postea prætores] Injuriarum pœna instituta prætorum prius ei, cui facta est, deinde arbitrio judicis æstimatione permittitur, ut scilicet is, qui injuria est affectus, ita dicat, Injuriam mihi factam centum æreis æstimo, Iudex pœnæ moderetur & refrænet taxationem actoris. Hæc pœna recepta, legitima ab usu recessit. Q. Labeo apud Gellium d. lib. 20. cap. 1. refert, fuisse quemdam Lucium Veracium hominem insigniter improbum, qui pro delectatione habeat, os hominis liberi manus fuisse

palma verberare: eum secutum servulum cruenam assium plenam porritantem, & quemcumque depalmaverat, ei numerari statim secundum XII. tab. 25. asses jubebat. Propterea, inquit, prætores hanc pœnam abolere & resiliuque centuerunt, injuriisque æstimationis recuperatores se daturus edixerunt.

Secundum gradum dignitatis vitæque honestatis] Æstimatione injuria pro ratione personæ, cui facta est, elationem submissivem accipit. Itaque in persona servi quoque locum habere, tradit hic Justinianus. Nimirum injuriam etiam servo factam pro honestate aut vilitate personæ, cui & domino præpositus est, aut vitæ morumque; pluri aut minoris æstimari, majorem enim domino injuriam fieri intelligi in male noto, in mediastino, aut quali quali, l. item apud. 15. §. itaque 44. hoc tit.

TEXTUS.

De lege Cornelia.

8. Sed & lex Cornelia de injuriis loquitur & injuriarum actionem introduxit quæ competit ob eam rem, quod se pulsatum quis verberatumve vel domum suam vi introitam esse dicat. Domum autem accipimus, sive in propria domo quis habitat, sive in conductâ, sive gratis, sive hospitio receptus sit.

COMMENTARIUS.

1. Ex lege Cornelia criminale quidem injuriarum judicium, sed non publicum constitutum fuisse.

Tres sunt cause, ex quibus etiam lex Cornelia actionem injuriarum dedit, quod quis pulsatus verberatusve, domulve ejus vi introita sit, l. 5. hoc tit. Nam etsi actio prætorica ad omnes injurias pertineat, tam quæ manu, l. 7. §. 1. & 2. eod. quàm quæ verbis fiunt, eam tamen non nisi civiliter institueri licebat. Ex lege autem Cornelia criminale judicium constitutum est: quamquam postea receptum, ut ex ea lege civiliter quoque agi possit, l. constitutio. 37. §. 1. eod. Publicum fuisse judicium quidam putant, sed hoc refellit l. licet. 42. §. 1. de procur. & quod generaliter traditum est in l. 7. C. hoc tit. causam injuriarum non publici judicii, sed privati querelam continere; ideoque nec inter publica judicia vel in l. 1. de publ. jud. vel in tit. ult. hujus libri numeratur. Utique ex eo quod in l. 12. in fin. de accus. mentio fit legis Corneliæ injuriarum, non continuo evincitur, judicium illud publicum fuisse executionemque injuriæ, tanquam delicti publici, patuisse omnibus: quod est proprium judicium publicorum. Legem hanc tulisse videtur L. Cornelius Sylla, quo tempore rempub. conti-

tuebat, bello civili & cædium impunitate ac proscritionem jactata.

Pulsatus vel verberatus] Ossilus scribit, verberare esse cum dolore cedere; pulsare, sine dolore, d. l. 5. §. hoc tit. Latine autem lingua consuetudinem qui spectat, facile observavit, differentiam illam non perpetuo servavit. VINN. Aliquando tamen & veteres auctores distinguunt in pulsare & in verberare, tanquam minus & majus. Vid. V. C. Car. Andr. Duker. de Latin. Vet. JCr. p. 147. HEIN.

Domum autem accipimus.] In lege Cornelia domus nomine etiam conductâ & precaria & hospitalis intelligitur, d. l. 5. §. 2. omnes hæc descripta sunt. Denique ad domos unum hoc pertinet, in quibus quis non momenti causa inhabitat, licet ibi domicilium non habeat: tantum enim ad meritoria vel stabula non pertinet, d. l. 5. §. si tamen. 5. eod.

TEXTUS.

De æstimatione atrocis injuriæ.

9. Atrox injuria æstimatur, vel ex facto, veluti si quis ab alio vulneratus sit, vel sustulibus casus; vel ex loco, veluti si cui in theatro, vel in foro, vel in conspectu prætoris injuria facta sit; vel ex persona, veluti si magistratus injuriam passus fuerit, vel si senator ab humili persona injuria facta sit, aut parenti patronove fiat à liberis vel libertis. Aliiter enim senatoris & parentis patronique; aliter extranei & humilis personæ injuria æstimatur. Nonnunquam & locus vulneris atrocem injuriam facit, veluti si in oculo quis percussus fuerit. Parvi autem refert, utrum patrifamilias an filiofamilias talis injuria facta sit: nam & hæc atrox injuria æstimabitur.

COMMENTARIUS.

1. Pœna injuriæ, magistratus, officiali aut apparitori facta, quatenus extendantur ex sententia interpretum.

Injuria quædam levis est, quædam atrox. Quæ sit injuria levis, ex descriptione atrocis simul intelligitur. Atrocem injuriam accipimus quasi contumeliosorem & majorem, l. 7. §. atrocem. 7. hoc tit. coque vel specie talis est, neque ipsa & persona tum facientis, tum patientis, talis habetur, quamvis per se atrox non sit, d. l. 7. §. ult. cum il. seqq. Atque ex his causis injuriæ æstimatione augeri potest, & pœna judicis arbitrio exasperari. Exemplis res illustratur in textu.

Vel ex facto] In æstimatione atrocis injuriæ primum factum perpenditur, veluti si vulnus illa-

tum fit, si quis furtibus exsus, aut cui os percussum d. l. 7. in fin. vel si vestimenta scilla, aut insigne alicui convitium factum. Sec. l. 9. fere per tot. eod. Itaque pro atroce & illa habenda, quæ fit malo carmine. Liban. orat. 2. ad Theod.

Vel ex loco] Secundo æstimatur atrocitas injuriæ ex loco, in quo fit, veluti si in theatro alicui injuria fiat, quantumvis per se non atrox. Nam in tanta celebritate vel qualiqui contumeliam alicquem afficere, facinus est indignissimum. Idem ergo dicendum est de foro & similibus locis, hoc text. d. l. 9. §. 1. eod. & de nique si injuria facta sit ludis aut in conspectu magistratus: quæ ad circumstantiam temporis referuntur in d. l. 7. §. ult. eod.

Vel ex persona] Potremo & personæ reverentia atrocem injuriam facit; veluti si ei inferatur, qui est in sacerdotio, & dignitatis habitum atque ornamenta præfert, l. 4. C. hoc tit. vel si liberi aut liberi parentem patronumve injuria afficiant, vel de plebe aliquis senatorem, virumve ob sapientiam & virtutem venerabilem, aut si magistratus injuria fiat, hoc text. & d. l. 7. §. ult. Terullianus, de animo: Gravis injuria in præsidem est, cum officia pulsantur: plus caditur qui jubet, quando nec qui obsequitur, excusatur. Hanc autem injuriam etiam capitali poena posse compelli, censent Decius in cap. ex litteris 11. 2. de constit. Menoch. de arbitr. cas. 239. quamquam alii interesse putant utrum magistratus, ut culibet, an qua magistratus, id est, ad turbandam administrationem officii, aut in ultionem condemnationis rite per eum irrogatur, aut ad seditionis initium incitamentumque que injuriam inferat: id enim in seditionem cadere aut in legem Juliam de vi publica, cuius poena est deportatio l. 3. l. qui dolo, 10. per tot. ad l. Jul. de os publi. quibus assentior. Vide Tulden. tit. C. de pœn. Offensens apparatus five principis, five senatoris, five alicuius domini aut judicis inferens, gravissimè puniendus est, quod ea res ad publicam utilitatem tuendamque magistratus jurisdictionem pertinet. Sed tamen ex causa aliter atque aliter statui solet, vid. Ant. Fab. C. suo, hoc tit. definitio. 6.

Locus umbrosus] Interdum atrox injuria censetur ex loco ictus, veluti si quis in oculo percussus fuerit, l. 8. eod. Nam oculi, ut Plin. lib. 11. c. 37. ait, sunt pars corporis pretiosissima, qui lucis usu vitam distinguunt a morte, & præcipuum signum est, quod non nisi in gravissimo casu. Basil. orat. 36. Sed hæc species ad primam referri potest, quæ scilicet ipso facto atrox est.

Utrum patrisam an filiosam.] Utrum injuria patri an filiosam facta sit, ad augendam aut minuendam injuriæ æstimationem nihil interest d. l. 9. §. 2. hoc tit. Cujus rei hæc ratio esse videtur, quod patris aut filii. nomen non est nomen dignitatis.

TEXTUS.

De judicio Civili & Criminali.

10. In summa, sciendum est, de omni injuria cum, qui passus est, posse vel criminaliter agere, vel civiliter. Et sequitur civiliter agatur, æstimatione facta, secundum quod dictum est, poena reo imponitur. Sin autem criminaliter, officio judicis extraordinaria poena reo irrogatur. Hoc videlicet observandum, quod Zenoniana constitutio introduxit, ut viri illustres, quique super eos sunt, & per procuratores possint actionem injuriarum criminaliter vel persequi, vel suscipere secundum ejus tenorem, qui ex ipsa manifestus apparet.

COMMENTARIUS.

- 1 Actionem ad palinodiam, jure civili incognitam, civilem esse, non criminalem.
- 2 In actione criminali poenam extra ordinem constitui. Civili electa, hanc consumi, & contra.
- 3 Civiliter conventus qua ratione infamiam effugiat? Ubi quadam consuetudine recepta.

Quemadmodum de furto, alioque maleficiis non tantum civiliter agi potest, sed etiam criminaliter, l. ult. de furt. l. ult. de priv. del. ita etiam de quavis injuria, hoc text. & l. ult. eod. In actione civili postulat actor, ut reus in tantam summam condemnatur, quantum ipse injuriam æstimat. Cæterum judex eam æstimationem moderari potest, si forte modum excedere actor videatur, nec ex vero rem metiri, sed ut plerumque fit, ex nimio amore & opinione sui nebulam hic etiam obijciente iracundia: §. pœn. 7. sup. eod. Hæc autem poena uti pecuniaria est, ita ipsi applicatur atque adjudicatur actori. Et ideo hæc actio opposita criminali civilis dicitur, quavis prætoris lit ratione causæ efficiens. Porro quoniam opinione vulgi convitiis, maleficiis, exprobrationibus honor & fama alicuius lædi creditur, & per revocationem approbri restitui, ex hoc errore nata videtur actio ad palinodiam seu recantationem, que cum actione injuriarum, que multa pecuniaria petitur, nunc ex more feu Romano conjungi & cumulari solet: nam jure civili poenam. Ant. Matth. ff. ad hanc tit. cap. 3. n. 7. criminelem hæc esse actionem contendit. Marant. part. 4. dist. 1. n. 10. Sed falso. Neque enim in hoc instituitur, ut vel corpori poena infligatur, vel quicquam applicetur fito: sed tantum ut honori & æstimationi ejus, qui læsus est, consulatur, & aliqui emulatio illa non admittetur. Mynd. 2. obs. 98. Gail. 1. obs. 65. Wurm. 1. præf. tit. 47. obs. 8. Criminali actione

ctioe postulat, vindicta in exemplum publicum, atque extra ordinem ex causa & persona auctoris judicis poena constituitur, reusque coercetur vel in caris, vel irrogatione multa, non parti, ut fit in judicio civili, sed fito applicanda, hoc text. d. l. ult. eod. Utram autem ex his persequutionibus actor elegerit, una alteram consumit: quia utraque ad eundem finem, id est, ad vindictam comparata est, l. 6. & 7. §. 1. eod. l. unie. C. quando civil. act. crim. & ibi Bart. num. 2. Gail. d. obs. num. 1. Marant. d. dist. num. 5. Matth. d. loc. num. 8. Sed & utroque judicio condemnatum sequitur infamia, l. 7. in pr. h. r. l. 1. l. 4. §. ult. de his qui not. inf. l. non damnatos. 18. C. eod. Quam tamen evitate reus civiliter conventus poterit, si curret, ut per procuratorem defendatur, l. 8. §. 2. d. tit. fac. ratio in l. 1. C. de sens. & interi. Addunt ergo interpretes, si ane sententiam definitivam aut utique ante litem contestatam æstimationem injuriæ solverit, aut auctore nolente recipere apud acta deposuerit, arg. l. si reus. 73. de procur. Gail. 2. obs. 103. num. 12. & obs. seq. per tot. Wurm. d. tit. 47. obs. 5. num. 7. Welemb. parat. de his qui not. infam. num. 9. Christin. vol. 4. decis. 202. num. 26. Quod non

est in juri nostro consentaneum sit. Nam textus in d. l. ult. §. 2. de procur. commodè accipi potest de his, qui tantum damnati infames sunt, non etiam qui & pacti, ut in causa injuriarum, cum etiam plus sit solvere, quam pacisci, arg. l. 4. §. ult. cum leg. seq. junct. l. 7. de his qui not. inf. Illud quoque non ex ratione juris, sed consuetudine receptum est, ut judex ex causa sententia sua honorem condemnato conservare possit. Gail. 1. obs. 65. num. 6. Welemb. conf. 22. num. 26. Marq. Freher. de existim. lib. 3. cap. 8. & seq. Christin. vol. 4. num. 20. dec. 202. Equidem non ignoro, juris esse, ut gravior poena ultra legem imposita existimationem conservet, quasi sententia de existimatione transactum sit, l. quid ergo. 13. §. pen. de his qui not. infam. l. 4. C. eod. Cæterum si sententia poenam ordinariam non excedat, valet legis auctoritas, l. 1. §. quoniam. 4. ad SC. Turp. & regula tradita in l. non poterit. 63. de furt. Zal. in l. acta. 45. §. de amplianda. 1. de re judic. Donell. 18. comm. 8.

Viri illustres & per procuratores] Ad actionem civilem quod attinet, agere quis injuriam & per se & per procuratorem potest, l. non solum 11. §. 2. h. r. criminaliter non potest, nisi per se, propter inscriptionem in crimen. Cæterum Zeno constitutio sua illustribus, veluti consules & patricius, & superillustribus personis, specialiter permisit, ut injuriam judicium per procuratorem etiam criminaliter vel suscipere vel movere possint, l. ult. C. h. r. De consuetudine autem Belgii in causa injuriarum procuratores indifferenter admitti testatur. Christin. vol. decis. 202. n. 7. Bul. in l. licet. 42. §. 1. de procur. VINN. Et id ubique observatur, partim

COMMENTARIUS.

Vinnus in Institut.

quia inscriptio hodie cessat, partim quia non amplius aliquis ulus est domini litis Cessante autem causa unica & adæquata, effectum etiam cessare oportere palam est. Hein.

TEXTUS.

Qui tenentur injuriarum.

11. Non solum autem is injuriarum tenetur, qui fecit injuriam, id est, qui percussit; verum ille quoque tenetur, qui dolo fecit injuriam, vel qui procuravit, ut cui mala pugna percuteretur.

COMMENTARIUS.

Actio injuriarum non solum adversus eum datur, qui re ipsa injuriam fecit, verum adversus eum quoque, qui subornavit aliquem, ut faceret, l. non solum. 11. pr. h. r. puta mandando, intelligendo, consilium dando, d. l. 11. §. 3. Ad quæ notamus ad §. illud 7. sup. de mand.

TEXTUS.

Quomodo tollitur hæc actio.

12. Hæc actio dissimulatione aboletur, & ideo si quis injuriam dereliquerit, hoc est, statim passus ad animum suum non revocaverit, postea ex penitentia remissam injuriam non poterit recolare.

COMMENTARIUS.

- 1 Remissa injuria adhuc peti posse impensas, & 2. Cur dissimulatione injuria aboletur?
- 3 An idem obtinet et in vasti injuria?
- 4 Plures species tacite remissionis: inter eas non esse communionem coena domesticæ.
- 5 Annus in actione injuriarum utilis intelligendus, an continuus: & ex quo tempore currit?
- 6 Actionem injuriarum ex lege Cornelia perpetuam esse.

Injuriarum actio tollitur remissione injuriæ. Et hæc vel expressa, puta si quis cum adversario pacificatur de lite, aut transigat: quod in actionibus, quæ ex contractu proficiuntur, facere licet etiam abique infamie nota, l. 7. h. r. atque hoc modo ipso etiam jure hæc actio tollitur, l. si ubi. 17. §. 1. l. si unus. 27. §. 2. de pacti. sed si 17. §. si ante. 6. hoc tit. Quin & absente atque ignorante adversario injuriam remitti posse, censent juris nostri interpretes. Cæterum remissa injuria, nihilominus peti possant impense curationis & pretium intermissarum operarum, si forte vulnus illatum, membrum aut os fractum.

Quippe quæ ob damnum, non ob contumeliam debentur. *l. item apud 15. §. si quis. 45. eod. Clar. lib. 5. §. fin. qu. 53. num. 38. Covar. 2. res. 10. num. 7. Gomez. 3. res. 3. num. 37. Vel tacita, veluti si quis sine ulla offensa aut commoti alienante animi indicio injuriam excepit, ut hic docet Justinianus ex Ulpiano in *d. l. 11. §. 1. hoc tit. Ubi* Jurisconsultus ait, injuriam actionem ex bono & equo esse, & dissimulationem aboleri, si quis injuriam illatam statim ad animum non revocaverit: Quibus verbis significat, dissimulationem esse speciem quandam condonationis & remissionis injurie; inquam autem esse repeti, quod semel remissum est. Et profecto cum actio injuriarum non persequatur damnum aliquid pecuniarium, sed tantum ad vindictam tendat, is qui dissimulat, nec animum injuriam revocat, eam insuper habere videtur, & tacite condonare ac remittere: quæ hinc est, quod clausula hæc libello inferri solet, quod actor injuriam sibi factam ad animum revocaverit. Hoc autem obtinere quidam volunt in injuria verbali dumtaxat. In reali verò, puta si vulnus inflictum, si quis subitus casus, conjecturam illam non sufficere. Tulden. *hic cap. ult. Dissimulationis* quoque & tacite remissionis species quedam videtur, si quis cum eo, à quo injuria affectus est, familiariter postea fuerit conversatus. *Clar. §. injuria num. 10. Damhoud. prax. crim. cap. 236. num. 10.* Utique si sponte & motu proprio. Nam verbi causa, si ad commune convivium vocatus cum adversario venerit, non ideo censetur remissa injuriarum actio. Sicut nec communitio cœne domesticæ, uti definitur Curia Prætoris, teste D. Joan. à Sande *lib. 5. tit. 8. de fin. 12. Ant. Matth. ff. hoc tit. num. 15.* quem vide. *Nam vid.* Item si injuriam passus lite non instituta decesserit; nam ideo heredi ejus non datur, cum ceteræ actiones penales etiam hæreditibus competant, *l. injuriarum. c. 11. in pr. hoc tit. §. 1. infr. de perp. comp. act.* Et denique*

si tempus instituendæ huic actioni præscriptum elabi passus sit, annum nimirum unum, *l. sed §. 17. §. si ante. c. in fin. hoc tit. l. 5. C. de iur. Utrum* autem hic annus continuus sit, an utilis ambigitur. Continuum intelligi debere communitur DD. schola existimat, *Clar. d. §. injuria. num. 9. Mynd. §. obs. 7.* quæ sententia est auctoritatis forensi recepta est, de jure tamen verior videtur eorum, qui utilem accipiunt, per text. in *l. item §. 14. §. si causa. 2. quod not. ca. & facit* quod in cæteris prætoris annalibus annus utilis intelligitur, ut constat ex edictis; quibus proponuntur. Dicitur autem tempus utile tum ratione decursus, ut in eo non computentur dies, quibus experiundi, aut judicis adeundi potestas non est, *l. 1. in fin. de divorf. & temp. preser. l. 3. §. ult. de accus.* tum ratione initii, quod non incipiat currere ignorantiam experiri impedito, *d. l. 1. de div. & temp. preser. l. 2. qui ord. in bon. poss. atque hoc saltem respectu utilem hic annum accipiendum, qui à die scientiæ demum currat, contra Oldend. class. 7. ad. 10. Schneid. ad §. sed & hoc tit. & alios quosdam, rectè docent Gail. 2. obs. 105. Mynd. §. obs. 7. num. 7. Fachin. 9. cont. 8. Christin. vol. 4. decif. 202. num. 8. 9. & 10. Planè quod dicimus, actionem injuriarum anni spatio finiri, id tantum pertinet ad actionem prætoriam: nam eam, quæ ex lege Cornelia injuriarum competit, quæ ex legibus & jure civili descendunt, *infr. de perp. & comp. actio. in pr. Clar. d. §. injuria. n. 9. Marant. par. 4. distinct. 1. n. 19. Fachin. 9. controuv. 7.* quod etiam rerum judicatarum auctoritate confirmatur. *Mynd. 1. obs. 84. & §. obs. 7. Gail. 2. obs. 105. Wuermler. tit. 47. de injur. observ. 1. dec. Cur. Holl. 13. D. Joan. à Sande lib. 5. tit. 8. de fin. 3.* Non obstat huic sententiæ *l. 5. C. hoc tit.* Nam illa non de omni injuria loquitur, sed de verbali dumtaxat; quo nomine constat ex lege Cornelia injuriarum agi non posse.*

TITULUS QUINTUS.

DE OBLIGATIONIBUS, QUÆ QUASI EX DELICTO NASCUNTUR.

Dig. Lib. 47. Tit. 5. C. Lib. 9. Tit. 3.

Continuatio. Quid si quasi maleficium & unde ita dictum?

Quarta & ultima obligationis causa est quasi maleficium, de quo exponendo hic solus locus superest. Quasi maleficium est omne factum, quo quis proprie quidem dicit non potest deliquisse, sed tamen quod maleficium est proximum. Etenim ut quædam sunt negotia, quæ licet revera contractus non sunt, tamen ad fines contra-

ctuum proximè accedunt, & ideo quasi contractus nominantur; ita quædam etiam sunt facta, quæ quaravis proprie in speciem aliquam delicti non cadant, tamen similitudine quadam ad delicta propius accedunt; quam ad contractus: quæ ideo nostri quasi maleficium & quasi delictum appellaverunt: quorum quatuor species hoc ut proponuntur & explicantur.

TEXTUS.

Si iudex litem suam fecerit.

Si iudex litem suam fecerit, non propter ex maleficio obligatus videtur: sed quia neque ex maleficio, neque ex contractu obligatus est, & unice peccasse aliquid intelligitur licet per imprudentiam; ideo videtur quasi ex maleficio teneri, & in quantum de ea re æquum religioni iudicantis videbitur, penam sustinebit.

COMMENTARIUS.

- 1 Cur iudex per imperitiam male iudicans non agat ex delicto obligetur ac medicus male curans? et circa hoc moris hodierni.
- 2 Cur, adversus quem, qua de re, ex hac causa actio datur?
- 3 Dolus iudicis quomodo puniatur?

Species quasi maleficium, & prima ex his, quæ hoc titulo proponuntur est, si iudex male per imprudentiam iudicaverit: quo etiam hoc factum refert Gajus, *l. 5. §. si iudex. 4. de obl. & act. l. ult. de extr. cog. n. 10.* per imprudentiam hic locus descriptus est. Ajo, per imprudentiam; nam dolo malo interveniente verum id delictum est. Dices, & per imprudentiam sive imperitiam aliquem ledere verum esse delictum; quippe cum sit culpa: ideo enim medicum male per imperitiam fecerant aut curantem ex vero delicto obligari & teneri legit Aquilia, §. imperitia. 7. *supr. de leg. Aquil.* Cur igitur non item dicimus, iudicem perperam per imprudentiam iudicantem ex vero delicto obstringi, led tantum quasi ex delicto: Nimirum quia medicis periculosa imperitiam delicto subicit temeraria professio scientiæ; Iudex autem non professione jurisprudentiæ censetur, sed publica auctoritate constituitur, etiam invitatus. Etenim imperitia per se culpa non est; sed in eo, qui peritiam alienius rei proferret, in ea re culpæ adscribitur, *l. 9. §. penult. l. item queritur. 13. §. si gemma 5. locat.* Denique casus hic leparatus est à lege Aquilia, qua damnum corpori datum dumtaxat coercetur, §. ult. *supr. de leg. Aquil.* Moribus hujus ævi neque errata medicorum in iudicium vocari solent, ut alibi quoque notavimus; neque iudex ex sententia sine dolo malo tantum per imperitiam prolata tenetur; sed iniquitati sententiæ occurrentium est remedio appellations; testes D. Tulden. *hic cap. 1. & Joseph. Ludovic. dec. 1. num. 50. Baro comment. part. ult. Bugnon. lib. 1. de leg. abrog. Satyr. 2. & 124. add. Papon. lib. 16. tit. 2. arret. 12. 13. 14.*

Litem suam fecerit] Litem suam facere iudex male iudicando ideo dicitur, quia potestudo litis se obstringit, causamque ejus, secutum quem pronuntiatum est, suscipere cogitur, & quasi suam defendere. In summa, quia ex justitie sit reus. Cicero 2. de orat. cap. 75. *Quid si cum pro altero dicas, litem tuam facias?* &c.

Licet per imprudentiam] Iudex male iudicando litem suam facit, non tantum cum dolo malo inique docerit, sed etiam cum imprudenter: sed illo casu ex vero; hoc ex quasi delicto obligatur, *d. l. 5. §. si iudex. 4. de obl. & act. l. ult. de extr. cog. l. filiusfam. 15. §. 1. de judic.*

Æquum religioni iudicantis] Iudex, qui per imprudentiam male iudicavit, tenetur quasi ex maleficio actione in factum, & in id, quod ob eam rem æquum iudici videbitur, condemnatur salva exemptione, *d. l. ult. de extr. cog.* Hæc actio ius constituta est, quia 2. sententia læsi sunt; proinde actori, si reus in iudicio absolutus est; reo, si injuria est condemnatus: quod ex fine hujus actionis intelligitur, quippe quæ comparata est damni faciendi causa: alius autem læsioni non potest, quam quibus datum est. Et, qui remedio appellations utitur, quod hodie in casu proposito necessarium est; non est æquum adversus iudicem, à quo appellavit, hæc actionem dari. Dolus iudicis ut verum & infame delictum severius vindicatur: nam qui *non potest parvas dænis largitione, odio, vel gratia depravatus iniquam sententiam dixisse arguitur, & famæ dispendium patitur, & veram litis affirmationem ei, quem læsit, præstare cogitur, l. filiusfam. 15. §. 1. de judic. l. ultim. C. de pun. jud. qui malo jud. Acceptio pecunie etiam reum legis Juliz repetundarum fecit, l. 3. & 4. de leg. Jul. rep.*

TEXTUS.

De dejectis, vel effusis, & positis aut suspensis.

1. Item is, cujus ex canaculo, vel proprio ipsius, vel conducto, vel in quo gratis habitat, dejectum effusumve aliquid est, ita ut alicui noceret, quasi ex maleficio obligatus intelligitur. Ideo autem non proprie ex maleficio obligatus intelligitur, quia plerumque ob alterius culpam tenetur, aut servi aut liberi. Cui similis est is, qui ea parte, qua vulgo iter fieri solet, id positum aut suspensum habet, quod potest, si occiderit, alicui nocere. Quo casu pena decem aureorum constituta est. De eo vero, quod dejectum est

fulsumve est, dupli, quantum damni datum sit, constituta est actio. Ob hominem verò liberum occisum, quinquaginta aureorum pena constituitur. Si verò vivat, nocitumque ei esse dicatur, quantum ob eam rem aequum iudici videtur, actio datur. Iudex enim computare debet mercedes medicis prestatas, ceteraque impendia, quae in curationis facta sunt: praeterea operas, quibus carui aut curatus est, ob id quod inutilis est factus.

NOTÆ.

1. Ob alterius culpam] Habitator suam suorum culpam praestare debet, l. pen. d. tit. Pena decem aureorum] Adversus eum, qui posuit aut positum patitur, actio in factum in decem aureos datur, d. l. 5. §. 6. quæ actio popularis est, id est, cuius & populo conceditur, d. l. 5. §. ult.

Iudex computare debet mercedes] Cicatricum autem & deformitatis nulla fit æstimatio, d. l. 1. pr. §. 6. l. 5. §. 1. ult. eod. tit.

COMMENTARIUS.

Secunda species quasi maleficii est, non præcavere, ne quid à domesticis temerè ex cœnaculo aut ædibus deiciatur aut effundatur, quod transeuntibus nocere possit, d. l. 5. §. 1. quoque. pen. de obl. & act. Unde si quid deiectionem effusumve alicui nocuit, constituta est à prætorè actio adversus eum, qui in eo cœnaculo habitavit, unde is casus prodiit, l. 1. & pass. de his qui deij. vel effud.

Vel proprio ipsius vel conducto] Utrum cœnaculum proprium, aut conductum, aut gratuito concessum sit, nihil interest. Nam hæc actio in eum datur, qui inhabitat, cum quid deiecerit vel effunderetur, non in dominum ædium. Habitare autem dicimus vel in suo, vel in conducto, vel gratuito. Hospes planè non tenebitur: quia non ibi habitat, sed tantisper hospitatur; sed si teneatur, qui hospitium dederit. Multum autem interest inter habitantem & hospitem, inter domicilium habentem & peregrinantem. Si plures in eodem cœnaculo habitent, unde deiectionem est, in quemvis hæc actio in solidum dabitur. Sed si cum uno actum fuerit, ceteri liberabuntur, d. l. 1. §. pen. & ultim. l. 3. §. 4. de his qui deij. vel eff. Si de navi deiectionem sit, dabitur utilis actio in eum, qui navi prepositus est, l. pen. §. ult. eod.

Deiunctum effusumve] In eum scilicet locum, quo vulgo iter fit, vel in quo constituitur. Quod merito prætor edixit: quippe cum publice interesset, sine metu & periculo pro itinera commeri. Ad secreta igitur loca hoc edictum

non pertinet: cæterum nihil interest, utrum publicus locus sit, an privatus, dummodo per eum vulgo iter fiat, d. l. 1. in princ. §. 1. & 2.

Ideo non proprie ex maleficio] Cujus ex ædibus quid deiectionem est, quod alicui nocuit, si proprie dici non potest ex maleficio obligatus: quia plerumque ob factum & culpam alterius tenetur. Sed tamen quoniam non creditur propensius & cavisse, quod propiciere & cavere debebat, ne quid à domesticis, quorum etiam culpam præstare debet, l. pen. ult. §. 2. eodem tit. deiecerit, peccatè aliquid intelligitur, & ideo quasi ex maleficio tenetur. VIRG. De deiectione & effusis & ante prætores cavisse legem Aquiliam, exilimavit V. A. Corn. van Bynkersch. Obs. l. 13. immo ipsum caput legis Aquilie secundum ea de re egisse censet. Quæ h. v. sunt, (sunt autem verisimilima,) eo majus robur accedet sententiæ eorum, qui legem Aquiliam & vera & quasi delicta vindicasse existimant. HEIN.

Postum aut suspensum] Tertia species quasi maleficii est, eo loco, per quem vulgo iter fit, aliquid positum aut suspensum habere, cuius casus præterentibus aut in eo loco consistentibus nocere possit, l. 5. §. 1. quoque. §. de oblig. & act. Et adversus eum, qui posuit, aut positum patitur, puta inquilinum vel dominum, actio in factum in decem aureos datur, l. 5. §. prator ait. 6. cum seqq. de his qui deiectionem vel effud. Quæ actio popularis est, id est, cuius & populo conceditur, d. l. 5. ult. Nam privata esse non potest, quoniam competit, cum nondum cuiquam nocitum est.

De eo, quod deiectionem, dupli] De deiectione aut effuso ita ut alicui noceret, constituta est ei, cui nocitum est, actio in duplum damni dati, l. 1. in princ. d. t. Hæc igitur actio gravior est, quam civilis ex lege Aquilæ, quæ non nisi adversus insipientem in duplum datur, §. sed furti. 26. in fin. de act. nimirum prætor securitati viarum & locorum publicorum sic melius prospectum iri existimavit. Datur adversus habitantem, ut supra dictum est: cui rursus consulitur actio in factum adversus dejectorem, l. 5. §. cum anteq. 4. de his qui deij.

Ob hominem liberum occisum 50. aureorum] Cujus ex cœnaculo deiectionem quid hominem liberum occidit, in eum iudicium quo, aureorum datur, l. 1. in princ. d. tit. Dimisi æstimatio hic non fit in duplum: quia in homine libero nulla corporis æstimatio fieri potest, d. l. 1. §. sed sum. §. eod. eaque de causa actio ex parte edicti popularis quoque est, & pecunia litem occupanti attribuitur, d. l. 5. §. hoc autem. §. eod. junct. l. 12. de verb. signif.

Si vivat, nocitumque ei esse dicatur] Hæc

verbis edicti, si vivat, nocitumque ei esse dicatur, non pertinent ad damna, quæ in rem hominis liberi facta sunt, si forte vestimenta ejus, vel quid aliud scissum ruptumve est: sed ad ea, quæ in corpus ejus admittuntur, d. l. 1. §. hoc autem. 6. puta si vulneratus sit aut membro aliquo mutilatus: quo casu quantum æquum iudici videbitur actio datur, d. l. 1. in pr. quæ læso perpetua est, alii compensari volentibus annua, d. l. 5. §. hoc autem. 7. In litis æstimatione computantur impensæ curationis & operatum amissio: nam cum hujus damni causam dejector atulerit, æquum est, ut id quoque in rationem inducatur, l. ult. de sit. Pena dupli & 50. aureorum ob hominem liberum occisum exolevit: vid. Groenew. d. leg. abrog. hic, & ibi citatos: & adde, quæ notavimus sup. ad pr. n. 2. & §. his autem. §. item ad §. capiti tertio, n. 2. de leg. Aquil.

TEXTUS.

De filiofamilias seorsim habitante à patre.

2. Si filiofamilias seorsim à patre habitaverit, & quid ex cœnaculo ejus deiectionem effusumve fuerit, sive quid positum suspensumve habuerit, cuius casus periculolus est, Juliano placuit, in patrem nullam esse actionem, sed cum ipso filio agendum esse. Quod & in filiofamilias iudice observandum est, qui litem suam fecerit.

NOTÆ.

2. In patrem nullam esse actionem] Neque de peculio, neque noxalem, l. 5. §. pen. in fin. de oblig. & act. De peculio ideo non datur, quia hic non ex contractu, aut quasi ex contractu, sed quasi ex maleficio filius obligatur, l. 1. §. 7. de his qui effud. l. 58 de reg. jur. Noxaliter autem cum patre nunquam agitur, §. ult. inf. de nox. act.

COMMENTARIUS.

1. Cur in proposito in patrem de peculio actio non datur? & num. 2.

Si ex filiofamilias seorsim à patre habitantis, cœnaculo quid deiectionem effusumve fuerit, sive is positum suspensumve quid habuerit, cuius casus nocere possit; non in patrem, sed in ipsum filium iudicium datur, l. 1. §. 1. si proque peculio de oblig. & action. In patrem de peculio ideo non datur, quia in ipse proposita non ex contractu aut quasi ex contractu, sed quasi ex maleficio filius obligatur, l. 1. §. si filiofamilias. 7. de his qui deiectionem. neque enim vel ob malefictum vel ob quasi malefictum filia, nullo modo cum patre agi potest; non actione noxali, §. ult. inf. de noxali. act. non de peculio, l. in pœnalibus. 58. de R. J. Quippe pater filio peculium concedens præsumitur quidem velle & factio filii pro modo

peculii obligari, cæterum non ex delicto aliove facto, quod poenam meretur. Planè si iudicio cum filio actum sit, ique in certam summam condemnatus, jam pater quoque actione iudicati de peculio conveniri potest, etiam ejus actionis nomine, ex qua ante condemnationem filii de peculio actionem pati non potuit, l. 3. §. idem scribit. 11. de pec.

Quod & in filiofamilias iudice] Filiusfam. iudex si litem suam fecerit, non pater, sed ipse actione in factum tenebitur, l. filiofamilias. 5. de iudic. Cujus rei eadem ratio, quam superius dicebamus: quoniam actio de peculio tum demum in patrem datur, cum filius ex contractu obligatus est: hic autem quasi ex delicto tenetur, ubi scilicet temere & imprudenter pronuntiavit. Quod si dolo malo, multo minus tenebitur pater, quia verum hoc delictum est. Quod autem Ulpianus scribit, in d. l. filiofamilias. 15. qui litem suam fecit, in tantam quantitatem pecunie teneri, quæ tunc in peculio fuit cum sententiam dicebat, id quam rationem habeat, fautor me ignorare. Consuli tamen poterunt Accur. ad d. l. Cujac. 13. obs. 18. Ant. Fab. in rationalib.

TEXTUS.

De damno aut furto, quod in navi, aut caupona, aut stabulo factum est.

3. Item exercitor navis, aut caupona, aut stabuli, de damno aut furto, quod in navi, aut caupona, aut stabulo factum erit, quasi ex maleficio teneri videtur: si modo ipsius nullum est malefictum, sed alicuius eorum, quorum opera navem, aut cauponam, aut stabulum exercet. Cum enim neque ex maleficio, neque ex contractu sit adversus eum constituta hæc actio, & aliquatenus culpe reus est, quod opera malorum hominum uteretur, ideo quasi ex maleficio teneri videtur. In his autem casibus in factum actio competit, quæ heredibus quidem datur, adversus heredem autem non competit.

NOTÆ.

3. Item exercitor navis] Ex Gajo, l. 6. §. ult. de oblig. & act. Pertinet huc pars altera edicti navis, caupona, stabularii, &c. cuius initium l. pen. §. ult. d. tit.

De dolo] d. l. 5. §. ult. Cujac. & Hotom. de damno, auctoritorem Flor. codicis fecerit & sententiam, l. 5. §. 1. nant. camp.

Caupona aut stabulo] Apparet, stabulum hic non accipi pro caupona aut diversorio, ut alias sæpe: sed pro loco, ubi iumenta stabulantur, l. 5. nant. camp. stab. pro mucio vrbique. Ppppp 3

COMMENTARIUS.

DE damno & furto, quod in navi, caupona, stabulo factum est, duae actiones edicto praetoris constitutae sunt adversus eos, qui navem, cauponam, stabulum exercent; quarum una est ex contractu, altera quasi ex maleficio. Prior est de his, quae natae, caupones, stabularii & vectoribus aut hospitibus invecata aut illata salva fore receptantur. Constituta est in id, quanti ea res est, quae salva non restituitur. *l. 1. naut. caup. stab.* Ex eadem causa est, & actio civilis ex locato aut conducto aut depositi; nec tamen ideo totius est actio honoraria: quippe quae etiam tunc locum habet, cum damnum est, aut res perit sine culpa ejus qui recepit, modo ne fato aut vi majore, *l. 3. §. 1. dist. tit. quo loco & d. l. 1. §. 1.* etiam ratio redditur, cur hic actio gravior, quam in ceteris constituta sit: nempe ut innotesceret, praetorem curam agere reprimenda hoc genus hominum improbitatis. Haec actio cum ex contractu descendat, hoc non pertinet: ad eam referenda sunt interpretationes veterum sub *d. tit. naut. caup. stab.* usque ad *l. pen. §. ult.* Altera actio est ex quasi maleficio, si damnum, aut furtum factum sit ab his, quorum opera nauta, caupones, stabularii utuntur, *l. 5. §. ult. de obl. & act. d. l. pen. §. ult. naut. caup. stab.* quae hic perinet. Constituta est adversus eandem personas & de eius similitur, quae in navem, cauponam, sta-

bulum illata sunt. Ex quasi maleficio ideo esse dicitur, quia species culpae habetur, malorum hominum uti ministerio, *d. l. 5. §. ult. de oblig. & action. & hoc text.* Quare si quid eorum factum sit & vectoribus aut viatoribus, quorum opera exercitor non habet, haec ex quasi delicto actio locum non habet, *d. l. ult. §. 2. naut. caup. stab.* sed prior illa ex contractu, *l. 1. §. ult. l. 2. l. 3. in pr. cod. illa penaliter est in duplici, d. l. ult. §. 1.* quia praetor utilitatem hic etiam publicam spectavit, dum prospecti fecerit iter facientium. Ceterum poena haec dupli exolvit ut & cetera similes.

Caupona aut stabulo] Stabulum pro diversorio seu caupona aut *nostris* &c., vel *nostris* saepe accipi, satis notum est. In hoc autem edicto, ubi praetor stabularios & cauponibus distinguit, significat locum ubi jumenta stabulantur, *l. 5. ff. de titul. repub. veterum, l. 1. in pr. de veter. & ceteris*, cujusmodi stabula fere cauponis adjuncta sunt, & utraque ab uno exercentur.

In his casibus in factum actio] Hoc etiam ad casus precedentes pertinet: nam quasi maleficia omnia subsidiariis in factum actionibus vindicantur.

Haeredit quidem datur] *d. l. ult. §. 1. & ult. naut. caup. stabul.* commune autem hoc est omnium actionum poenaliu, quod haereditibus quidem datur, sed adversus haereditem non competant: neque enim equum esset, haereditem ex delicto defuncti poenam sustinere, vid. *infra* §. 1. de perp. & temp. action.

TITULUS SEXTUS.

DE ACTIONIBUS.

Dig. Lib. 44. Tit. 6. C. Lib. 4. Tit. 20.

Continuatio.

TEXTUS.

Supereff, ut de actionibus loquamur.

COMMENTARIUS.

- 1 Ratio ordinis & continuationis.
- 2 Error veterum interp. notatus.
- 3 Actio ut consideranda, quatenus tertium juris obiectum constituit?
- 4 Ex quo iure actiones proficiantur, accurata distinctio.
- 5 Aliquis nomen quidem latè patent?
- 6 Quot modi usque ad nostros? & qua significatio huc pertinet?

Supereff] Transficio haec imperfecta est, carens epilogo precedentium membrorum. Unde natus error interpretum, qui creditur, Imperatorem respicere ad tractationem proxime precedentem de obligationibus;

quod non ita est. Potuisset sanè Tribonianus perfecta transicione uti, ut fecit initio lib. 2 & hujus item quarti: atque hic locus id vel maxime desiderabat propter longam, quae intercessit, antecedentium partium explicationem. Sed tamen ratio ordinis & continuationis partis sequens non absque adeo obscura est, quin facile ab homine non nimis luseitiosio pervideri queat. Et nimirum respicit Imperator tum ad partitionem propositam in calce *titul. de jur. nat. gen. & civ.* qui secundus est libri primi hujus operis, quo loco totius juris nostri tractationem ad tria capita, quae totidem sunt objecta hujus disciplinae, revocavit, quorumque primum ad personas pertinere dixit, alterum ad res; tertium ad actiones; tum ad transitionem, quam facit in ingressu libri secundum. Nempe quo ordine partes istas summas proposuit, eodem, quo ratio methodi exigit, deinceps singulas explicare instituit. Igitur cum primus locus in ista partitione, & merito quidem

tributus esset personis, etiam primo loco, hoc est, reliqua parte libri primi de personis disputatum est, hoc est, de eo jure, quo quisque in civitate pro statu ac conditione personae suae censetur. De rebus, hoc est, quod cujusque in rebus externis proprium est, aut ei debetur, sive de dominio ceteroque jure in rem, & de obligationibus, quas & ipsas ad eandem illam partem pertinere probavimus in explicatione *titul. de oblig. tractatum* libro secundo & tertio, itemque nonnulla parte libri quarti, usque ad praesentem locum: quibus locis simul nobis explicati sunt modi ac rationes rerum atque obligationum, tum acquirendarum, tum amittendarum. Expolitus ergo ex tribus membris propositis prioribus duobus, superest adhuc tertium & postremum, actiones videlicet, cujus partis tractatio hic jam suscipitur. Hinc verò perspicuum est, errare, quod diximus, interpretes veteres & cum his Myallig qui initium doctrinae de actionibus fieri existimant *lib. praeced. tit. de obligat.* Atque hoc loco eandem continuari: quasi illic de causa actionum tractetur, quae sit obligatio; hic de effecta obligationis, quae sit actio: illic de matre, ut loquuntur, hic de filia. Nam nec obligatio causa est omnium actionum, sed earum dumtaxat, quae in personam sunt, & ut esset, tamen ratio obtinendi ejus, quod nobis debetur, & vinculo quo se debitor adstringit, argumento & materia separata est. Etenim quod omnino notandum est, actio in proposita disputatione non tam consideratur, quatenus cujusque est, dependens ex jure quæsitio; quia consideratione cum rerum nostrarum pars sit, & in bonis nostris comparatur, *l. bonorum. 30. de verb. sign.* ad idem plane obiectum referri debet, quo referuntur dominium & obligatio: quatenus est via sive medium per quod ad id quod nostrum est, aut nobis debetur, si ultero non prebetur, pervenitur & auctore invitis; uno vero verbo, quatenus consideratur ut iustitiam exercentem in iudicio, ut rectè utimus *Pab. dist. de action. dist. 1.* Via interpretum invenitur, quia hic in vestibulo quaesitus sit, ex quo iure actiones proficiantur, ex jure gentium, an ex jure civili, id est utrum causa actionum remota jus gentium sit, an jus civile. Quæritio minime obscura. Sed nimirum nihil tam clarum atque perspicuum est, quod semper & ab omnibus videatur. Certum est leges, magistratus, eorumque imperia jus gentium esse: quippe sine quibus nulla unquam gens aut vitæ, aut vivere potuit; adeoque ipsa naturalis ratio omnes docet, sine publica auctoritate nullam hominum societatem consistere posse. Hujus autem publicae auctoritatis bona pars est in perfectionibus judicialibus, qua civilibus, qua criminalibus. Adhæc inter omnes constat, dominia rerum atque obligationes, quae causae sunt actionum proximae, originem ex jure gentium trahere; trahunt ergo & actiones sive judicia, id est, ea remedia & rationes, quibus, quod vel dominii nostri sit, si id sponte iis, qui possidet, non restituitur;

vel quod in obligationem à nobis debetur. Sic id debitor non præbet, obtinere licet. Nam certè frustra sit, si id voluntari permissit & arbitrio possessoris aut debitoris; aut, quod restat, risus, tumulibus, cadibus porta patet, civis in civem amabitur cum interfectione civitatis, si domino aut creditor licere velimus rem suam aut sibi debitam per vim occupare propriam aufferre auctoritate. Non puto autem, et quemquam esse, qui juri gentium adferipturus sit ea, quibus concessis necesse sit hominum societatem everti. Præclare Theodorius Rex apud Cassiodorum *lib. 4. var. epist. 10. Factum est*, inquit, *jura publica privatis aliis licentiam dare: nec ad arbitrium proprium judicandus inconsultus feror animorum: & statim, hinc est, quod legum reperta est sacra reverentia, ut nihil manus, nihil proprio ageretur impulsu. Quin enim à bellicis consuevit pax tranquilla distabit, si per vim litigia terminantur*] *fac. l. non est singularis. 176. de ver. jur. l. extat. 13. quod mor. ca.* Hæc etiam verissima sunt & clarissima, non paucis tamen, quæ etiam quorum in rebus aliis in rebus perperitiam ac solertia commendatur, hic accutere contingit, ut temerè atque inconsideratè contendant actiones omnes & forma & origine esse juris civilis. Quid ergo est, quod eos transverfos agit? Primum quod apud Pomponium in *l. 2. §. his legis. 6. de orig. jur. scriptum* est, ex legibus duodecim tabularum compositas esse actiones, quibus inter se homines disceptarent. An igitur totis precibus annis ante nemo cum alio agere in urbe potuit? aut quia manu regia pleraque terminabantur, nulla petitio, nulla imploratio fuit necessaria? Sed quis non videt, Jurisconsultum loqui de forma actionum accidentalium & juris Rom. propria? quam scilicet à prudentibus acceptaverat, compositis certis ac solemnibus formulis. Secundum? De obligationes passim civiles dicantur. Quid tum? De actionibus ita passim appellatur, quae utique juris gentium esse nemo ibi inficiatur; quia & comitè jure gentium res dicitur in *l. rerum. 1. §. de action. rer. emot.* Tertio, quod naturalis obligatio tante efficacie non est, ut actionem producat; quasi vero quod non producat, non fit à jure civili. Et tamen non a hic exceptio est. Postremo, quoniam deponat agere non possunt, qui tamen ea, quae sunt juris gentium, retinent. Ineptè Nam id tantum obtinet in imperio ejus civitatis, in qua damnati sunt. Sed nec patriam potestatem retinent, nec tutelam, nec jus testandi, nec jus succedendi ex testamento aut ab intestato: quae tamen omnia ex jure gentium manare, & considerata generatè atque essentiali forma juris gentium manere, suis locis ostendimus, quamvis propter adjectam à jure civili qualitatem & determinationem usus rectè dicantur esse juris civilis, ut & actiones; per *l. 6. de just. & jur.*

De actionibus] Nomen actionis latissimè patere vulgo notum est, ac comprehendere omnem omnino viventis operationem, quae passim